

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sex. Aurelii Victoris Annibal Carthaginis dux & P. Cornelius Scipio Africanus

Aurelius Victor, Sextus

Helmaestadii, 1602

P. Cornelius Scipio Africanus

[urn:nbn:de:bsz:31-131576](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-131576)

P. Cornelius Scipio Africanus.

Publius Scipio, ex virtutibus cognominatus *Africanus*, Iouis filius creditur. Nam antequam conciperetur, serpens in lecto matris eius apparuit: & ipsi paruulo draco circumfusus, nihil nocuit: in Capitolium intempesta nocte eunti nunquam canes allatrauerunt. Nec hic quidquam prius cœpit, quàm in cella Iouis diutissimè sedisset: quasi diuinam mentem acciperet. Decem & octo annorum, patrem apud Ticinum singulari virtute seruauit. Clade Cannensi nobilissimos iuuenes, Italiam deserere cupientes, sua auctoritate compescuit: reliquias incolumes per media hostium castra Canusium perduxit. Vingtiquatuor annorum, Prætor in Hispaniam missus, Carthaginem (nouam) qua die venit, cepit virginem pulcerrimam, ad cuius adspectum concurrebatur, ad se vetuit adduci, patrique eius ac sponso restitui iussit: Asdrubalem Magonemq; , fratres Annibalis, Hispania expulit: amicitiam cum Syphace Maurorum rege coniunxit: Massanissam in societatem recepit. Victor domum regressus, consul ante annos factus, concedente collega, in Africam classe traiecit: Asdrubalis & Syphacis castra vna nocte perrupit: reuocatum ex Italia Annibalem superauit: victis Carthaginensibus leges imposuit. Bello Antiochi, legatus fratri fuit: captum filium gratis recepit. A Petillijs ac Næuio Tribunis plebis repetundarum accusatus, librum rationum in conspectu populi scidit: *Hac die, inquit, Carthaginem vici: Bonum factum: in Capitolium eamus, & dis supplicemus.* Inde in voluntarium exsilium concessit: vbi reliquam egit ætatem. Moriens ab vxore petijt, ne corpus suum Romam referretur.

F I N I S.

I. Cornelius Scipio Africanus.

... Scipio Africanus ... Romanus ...

F. V. A. S.

Handwritten notes on the right page, including '... ab ...' and '... est ...'.